



88

# DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,  
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCAE,  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,  
QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS  
mane discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-nonâ mensis  
Januarii. An. Domini M. DCC. LXXI.

M. EDMUNDO-THOMA MOREAU,  
Doctore Medico, Praeside.

*An Temperamenti diversitas, à diversa fibrarum constitutione?*

I.

**P**E RIT U M te juvat Medicum haberi ; humanum corpus in primordiis sedulò inquire ; impigri meta laboris, ipsius cognitio. Propositi tenax , quot naturæ deteges arcana, quorum solerti ingenio alia , alia oculis investigabis. Naturam sibi semper similem singulas singulorum corporum partes , unâ velut elementari materie conflatis deprehendes ; genio indulge : hanc aggetrem puta , partium minimarum , simplicium , terrestrium , vixque corporis viribus mutabilium , quæ glutinis cuiusdam ope tenuissimi unitæ , fibrillas dant omnium minimas , seu villos simplices , teretes , distractiles , elasticos , &c.

\* Authore M. Jacobo VERDELHAN DES MOLES , anno 1744.

2

Fibrillæ plures in unum aggesitæ , varios in fasciculos , aut in diversa abeunt strata ; siveque arte non parum mirandâ , singuas corporis partes efformant ; harum omnium concurso , & variâ dispositione nostra stupenda exurgit machina : dissimilium usu & structurâ , dissimilia forsitan tispicaris rudimenta ; at fuge , quamlibet partem texturâ solùm dissimilem edocebit naturæ simplicitas , accurata partium embryonis evincet observatio . Verum curiosus naturæ perscrutator altiora indagare contendis . Quantus tibi imminet labor ? vel ipsi doctiores hærent in incerto , quâ arte molecula vermiculi formâ fluido innatans , aut in ovulo inclusa , evolvatur , accrescat , quodnam prius efformetur organum , quâ vi , quo duce adunentur , cohærent , agantur omnes & singulæ partes .

*Compago mira corporis nostri , dei  
Miraculum est solertia.*

Naturæ mysteria tuius admiraberis , quâm temerè perscrutaberis . Natura jussus dei est qua res est id quod est , & agit quod agere iussa est . Discernuntur & augentur omnia membra simul , non alterum altero prius , nec posterius . Quæ tamen natura sunt majora minoribus priora conspiciuntur , licet non prius genita sint . Ex legibus ortui coavis , à determinata partium structurâ & positione fluentibus , singulis animatæ machine organis obeundi functiones nec impedita , nec retardata inditur facultas . At quanta varietas ? Quod in diversis individuis observanda discrimina ? Non morbi quidem sed idiosyncrasie , seu specificæ temperiei fons & origo ; quæ sanè temperies à villorum naturali constitutione repetenda .

I I.

CUNCTARUM corporis humani partium , substantiam , molem , figuram , situm , connexionem , structuram , communicationem , numerum sectionibus anatomicas quantumvis sedulâ manu inquiras , detegas mechanismi corporei modum desiderabis , nisi solidorum actiones & fluidorum vires , simul & leorsim explaveris . Fibra quævis distentionis & restitutionis capax , vi quâdam nativa donatur , quâ distenta pristinum nititur recuperare statum . Hanc elaterium seu vim elasticam dixere . Prævia adlit distractio , & causa distrahens auferatur . Muteulum , tendinem , nervum transversum seca , elaterii palam erunt effectus . Vis elasticæ pro diversâ partium texturâ , nexu , situ , mollitatem , flexibilitatem , innumeros intentionis aut remissionis gradus obtinet . Huic propè similis , nec satis forsitan explorata , actio tonica , villo in omni sensili deprehenditur , quæ absque præviâ distractione sui prebet indicia haud obscura ; non voluntatis sed liquidi animalis , seu generis nervei soboles . Hujus major , nunc minor est energia . Vigiliâ intenditur , remittitur somno , morte cessat . Tristitia , gaudii , iræ furoris , mœroris , irritationis stupendos expende effectus , haud dubia præstò sunt vis illius argumenta : & hujus & illius vis , carnea omnis fibra particeps , insuper vi propria musculari dictâ insignitur . Hic antem hujus exponere mechanismum abs re foret . Triplex actio enumerata , vel motus est , vel ad motum nixus , qui à fluidis pendet & oritur : horum dotes physicè explorantes , tres sibique mutuò opitulantes motus animalvertemus . Unum ab ipsâ fluiditate , liquida enim moleculis summè ductilibus , laxis , molibus constantia , vel levissimæ causæ impellenti obsequuntur : circulatorium & projectilem alium , quo fluida vi cordis acta , arteriarum systole pressa , muscularum actione propulsâ singulas corporis partes alluvunt , vivifico quaslibet

Liquore irrorant, sive totius economia animalis ordinem tueruntur atque mechanismum. *Vitalem tertium*; intestinus dicitur, particularum in sele invicem, & in vasa impingentium motio, quā sese atturunt, atturunt, mutant & mutantur, adeo ut succorum elaboratio succedant & defocatio. Solida inter & fluida irrequieta lucta, indefens praeium: amico illo dissidio fiat vigetque sanitas, quae quādam donat in *latitudine*, &c. modo nostris usibus non sit inepta; undē exurgit *temperies*, remotè à diversā humorum pendens fluiditate, & varia eorum determinatione, liquida enim vasis coercita, cujuslibet loci, formæ & situs capacia, infinitè divergos fluiditatis gradus ab ipsā solidorum actione nanciscuntur.

## III.

**P**RO diversitate fibrarum constitutionis, tensionis scilicet, laxitatis, flexibilitatis, mollitiei, rigiditatis, &c. variat solidorum vis & actio; chorda non uno eodemque modo texta, tenfa sibi communicatum diutius motum conservat, latius propagat; quidni diversa fibrarum constitutio, variam ipsis impertiret energiam, & consequenter majorem aut minorem, sexcentisque modis variatam in contenta fluida actionem? Musculi, tendinis, cujuslibet visceris usum adverte, perscrutare fabricam, diversam texturam intendere motum aut minuere exploratum habebis. Ultradē refragaris. Singulas hominis aetates explora; incrementi, statū, decrementi & usum & mechanismum meditare: pulposas primū, molles, flexiles distensioni faciles, dein firmiores, situs tenaciores, rigidas tandem & mortui ferē impares fibras agnosces. Ex illā fibrarum constitutione, lensus & aequalis, rapidius & sapè sèpius inordinatus, tardus & minoribus in vasis vel propè nullus motus impertitus humoribus: quid plura? athletam, debilem, militem iracundum, ingeniosum, stolidum, sanum, morbo tentatum intuere. Diversa functiones adimplendi aptitudo, ex dispari fibrarum tensione, laxitate, contractione dissimili, in contenta fluida non eadem aetione: hinc infinitæ temperiei mutationes, infinita disciriwina.

## IV.

**N**ISI quis noverit qualis à principio fuerit constitutio in corpore primas tenens, quae homini conducant, proferre par non erit. Cujusque morbi tanta magnitudo est, quantum à naturali statu recedit, quantum vero recessat, is solus novit quod naturalem habitum ad amissim tenetur, haec prima constitutio, naturalis habitus temperies cuique peculiaris à naturā concessa, & pro temperiei diversitate, variet & causā morbificā vis, impetus, nec minus di'par curatoria methodus. Quād autem arduum apprime callere, quid temperamento adscribendum, quid denegandum; quo usque integrā sanitatem intendatur, vel remittatur tonus fibrarum. Is nodum solvit cui absolute anatomiae cognitio, perspecta humorum indoles utriusque mechanics æquā lance actio ponderata, quem non fugit quid posit vietus, quid valeat consuetudo, quid dei solum, quid operetur aer: quem non iacet strictrum mentis cum corpore commercium: cuius experientia ratiocinio ducitur, ratio experientiā fulcitur. Claudiat Medicina, sola observatione innixa; luminibus orba, solo ratiocinio suffulta; soli rationi consulens titubat sophista, obervatione & experientiā superbens cœcutit empiricus, utrāque duce firme tutoque pede incedit methodicus.

**A**NTIQUI Medicinæ proceres æqui rerum æstimatores , motuum naturæ feduli exploratores , diversam diversis in hominibus temperiem agnoverunt : temperamenta enim in calida , sicca , humida , frigida diffinxere , nec causam attigerunt , horum opinioni parum refragamur . Easdem diversis in hominibus prædominari qualitates non diffitemur , verum à variâ fibrarum constitutione repetendas ultrò afferimus ; exinde enim vera & genuina temperiei ut ut compositæ facili negotio erues æthiologiam : nec arguas à primis rerum elementis deducendam temperiem , nos latet horumce elementorum natura & forsan in æternum nos latebit . Objicies forsan humori cuidam prædominanti adscribenda temperamenta : sanguini nempè , bili , &c. sive bilosum , sanguineum , &c. temperamentum . Ast ne animum altius opinione imbuas ; effectum non causam prædiccas : fluida generis à solidorum actione mutuantur , hæc non temperamentorum , sed dominanium humorum sint nomina : nec instes temperiei mutations à fluidis determinari , hæc siquidem indeole , motu variant ; symbolum certò conferunt ; ast conjuncta semper causa valorum actio , ex quâ diverse constitutiones quæ , ab optimâ sanitate , specie non differunt , sed majoris aut minoris ratione .

Ergo Temperamenti diversitas , à diversâ fibrarum constitutione .

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURAL

M. Augustinus ROUX , Re-  
giæ Scientiarum Rei Ag-  
grariae , necon Regiæ  
Scientiarum Academiae  
Burdigalenſis Socius .

M. Achilles-Guillelmus LE  
BEGUE DE PRESLE ,  
Eques , Censor Regius .

M. Cesar COSTE , Censor  
Regius .

M. Petrus - Joannes - Clau-  
dius MAUDUYT DE  
LA VARENNE .

M. Stephanus D'HUAUME .  
M. Joannes - Armandus  
ROUSSIN DE MON-  
TABOURG .

M. Franciscus BERNARD .

M. Jacobus VERDELHAN  
DES MOLES , Sereniss-  
imi principi Condæi Con-  
filiarius Medicus .

M. Carolus - Ludovicus  
LIGER .

Proponebat Parisiis JOSEPHUS COTTON , Gratianopolitanus , Saluberrimus  
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus , A. R. S. H. 1771 .

A SEXTA AD MERIDIEM .